Toletana Decimarum; super septem Tenimentis.

25

Reu. Pater. EX duobus fundamentis fuit in sensu Sacra Rota in præterita instantia coràm R.P.D. meo Cerro, quod nostro Regio Monasterio S. Dominici non competeret exemptio à solutione Decimarum, quoad septem reliqua tenimenta, primò scilicèt quod istorum respectu consuetudo immemorabilis non soluendi istas Decimas, non probaretur prò vnoquoque Prædio, proùt requirebatur, sed nostri Testes ad hoc inducti deposuerint, Monasterium nunc vnam, nunc aliam Tenutam proprijs expensis coluisse absque vlla certitudine, & determinatione; altero verò quià immemorabilis non fuerit legitimè probat acùm debitis requisitis præscriptis in celebri *Gloss.in cap.*1. *verb. Memoria de præscript.in* 6.; Sed cùm illorum neutrum subsistat, atque vlteriùs constet hodiè pretèr hucusquè deductam consuetudinem de antiquissimo equè, ac validissimo titulo istam petitam immunitatem in ipsa erectione nostri Monasterij indulgente, speramus infirmandam fore laudatam sententiam, vt enixè exoramus.

Quoad primum illorum super non probata consuetudine immemorabili respectu vniuscuiusque Prædij possemus tutò respondere, & ni fallimur, etiam rectè, quod tametsi ista specialis probatio prò singulis Prædijs non exhiberetur, non ideò tamèn in aliquo præiudicaretur Iuribus nostri Monasterij ex hoc ipso, quod adduceretur probatio etiam in genere supèr consuetudine inconcussa, & immemorabili non soluendi Decimas ex bonis proprijs expensis excultis, quià cum nostra controuersia non versetur in præscribendo jure actiuo decimandi, seù de præscriptione exigendi Decimas ex Prædijs alienis, quo casu necessaria foret probatio specifica ex censura *Tex. in cap. Cùm in tua* 30. *de Decim*, sed restringatur dumtaxàt ad præscribendum Ius passiuum, non soluendi scilicèt Decimas ex fructibus bonorum, quæ Moniales serunt, & colunt proprijs expensis, ista rigida, & indiuidua probatio omnimodè relaxatur, & sat est sola causa vniuersalis fundata in qualitate culturæ proprijs expensis, vt omnia bona sub ea cadentia fruantur exemptione, vt notant communitèr Canonistæ in dicto *Cap. Cùm in tua*, præcipuè *Butr.num.*2. *&* 5. *Monet. de Decim. cap.*4. *num.* 85. *& seq. Valenzuel. cons.* 79. *num.*100. *& seqq.& cons.*146. *num.*30. *vers.quarè Ius cum seq. Giouagnon. cons.*28.*num* 3.*& seq. lib.*2. *Card.de Luca de decim. disc.*44. *num.*5. *& seq.Rota in recent.decis.*101.*num.*23.*& seq.part.*10.*& coram Cels.decis.*52.*num.*3.*& coram Emer. Iun. decis.*45. *n.*5.

Et nihilominus, vbi enim isto rigore procedendum esset, nec desideratur in nostra hypothesi ista specialis probatio respectu vniuscuiusque ex septem tenimentis, quià eam satis superque concludunt Testes recentèr examinati de anno 1702. & exhibiti in nostro *Summario Princip. num.* 3. *& seq.* Qui quidèm Testes optimè discriminando bona antiqua Monasterij ab alijs recentibus temporibus acqui-

acquisitis, necnon separando ea, quæ semper fuerunt culta sumptibus eiusdem Monasterij, perspicuè referunt, quod ex tresdecim tenimentis terræ cultiuæ, quæ possidet in loco de Olias, quorum vnumquodque constituitur ex quadraginta fanegis, Monasterium vnum illorum semper colere consueuit proprijs expensis, cætera duodecim tradendo in locationem, vt latè ostendit D.Causæ Patronus in sua Informatione§. *Quoad primùm cum seq.* Cùm itaquè omnia prædicta Prædia sint eiusdem quantitatis, vtpotè constituta ex quadraginta fanegis, dùm Testes deponunt, quod vnum illorum sempèr cultum fuerit proprijs expensis, certò certiùs quoad istud incontrouertibilis redditur specialissima probatio, ac manifestissima coarctatio ad certum, & determinatum locum, dùm omnia sunt æqaalis quantitatis, & mensuræ ad regulam, de qua *Rosa.consult.2. num.9. & 10.Gratian.discept.547. num.10. Cyriac. contr. 321. n.8. Rota in recent.decis.135.n.24.par.8. & coram Emer. Iun. decis.617. n.6. & post Card. de Luca decis.30. n.13. lib.7. & decis. 7. num. 11. lib.9. tom.3.*

Pariformis probatio concurrit respectu omnium Oliuetorum, quæ nostrum Monasterium possidet tàm in memorato Territorio de Olias, quàm in Valle S.Dominicei, necnon in Territorio de Magan, & in Territorijs de Xerindote, & Alcabon, cum simili modo nostri testes clarè conuincant ista sempèr culta fuisse proprijs sumptibus Monasterij, nunquamue de eis fuisse Decimas solutas, vt plenè D. Causæ Patronus §. *Præterea cum pluribus seqq.* Vndè etiam quoad ista enumerata bona tanquàm determinata à proprijs vocabulis, & à certa specie fructuum indubia itidèm est probatio specifica per ea, quæ notant *Dec.in cap. Prudentiam §. Sexta sub num.10. de offic. deleg. Alexand.conf.133. num.5. lib.1.Crauett.conf.198.num.2.Menoch.conf.409.n.85.Rota in recen.decis.120.n.9. par.6. & cor. Cerr. decis.17.n.5. & decis. 170. n.3.*

Haudquaquàm subsistente, quod nostri Testes non deponant cùm necessarijs requisitis ad probandam immemorabilem, quià ex benigna illorum recognitione patet de toto contrario, cum omnes Testes constituantur in ætate annorum 54., deponant de visu per quadraginta annos, de auditu ab eorum maioribus, quodque nihil vnquàm dictum, factum, vel auditum fuerit in oppositum, & demum de hoc testentur tanquàm de re notoria omnibus, ac de publica uoce, & fama, prout singillatim ad ea descendendo demonstratur vsque ad euidentiam in nostra Informatione facti §. *Progreditur cum pluribus seqq.* Ideoque palàm efficitur pro nostra consuetudine, & de immemorabili militare omnia requisita ad illam necessaria, de quibus meminit *Card. de Luca de Iudic. discurs.21. num.59. & seq. Rota coràm Cerr.decis.607. num.15. & seq.* cùm alijs in *Troiana delationis Crucis 21. Martij 1708. coràm Reuerendiss. Lancetta, & 10. Decembris eiusdem anni §. Quod verò coràm Reuerendiss. Aldrouando, & 13. Decembris 1709. §. Quandoquidem coram clar. mem. Card. Priolo, & in Vratislauien. Iuris approbandi Confessarios 10. Decembris 1721.§.Porrò coram Reuerendiss.Lancetta Decano.*

Et

quamuis in sensu aliquorum superaddatur sextum requisitum, auditus nempè maiorum ab alijs eorum maioribus, adhùc neque hoc deficeret juxtà depositiones nostrorum Testium, nec est nisi in quandam exuberantiam, quià etiamsi probatio istius secundi auditus deficeret, non ex hoc immemorabilis remaneret minùs perfecta, sed ex alijs quinque rectè in suo esse consisteret, vt de veriori opinione docent *Couarr. in c. Possessor 1. par. prælect. §. 3. sub n. 7. vers. Hoc autem vltimum, & n. 8. de regul. Iur. in 6. Card. de Luc. de Iudic. d. disc. 21. n. 60. Adden. ad Gregor. decis. 196. lit. A.* vbi quod hæc est opinio Sacri Tribunalis *Rota in recen. decis. 56. num. 8. & seqq. par. 7. cùm alijs in Nullius, seù Vrgellen. Primitiarum 21. April. 1708. §. Non obst. coram Reuerendiss. Aldrouando.*

Ex hac igitur consuetudine immemorabili sic stabilita abundantissimè ex depositionibus nostrorum Testium formiter examinatorum sunt prorsùs in tuto jura Monasterij nostri Principalis, ne ad vllas Decimas cogi possint ex istis septem tenimentis proprijs expensis excultis. At præcipuè quoque ab illis habemus priuilegium exemptiuum à solutione istarum Decimarum, & coæuum eiusdem Monasterij fundationi, vtpotè concessum, vsque ab anno 1368. ab Arpiscopo Toletano, accedente promiscuo consensu sui Capituli; In eo enim Moniales, & earum bona eximuntur à solutione Decimarum vsque ad valorem 25. mil. Marapetinorum tunc temporis currentium, adeò quidem, vt ad alias Decimas non tenerentur, nisi prò eis, quæ d. valorem excederent, vt ex nostro secundo *Summ. additionali num. 1. litt. LL. & MM.* Quo stante priuilegio clarissimo nulla inesse potest hæsitatio, super integra immunitate istorum bonorum vsq; ad relatum valorem, & quantitatem ad *Tex. in cap. Quia circà 22. de Priuileg. & in cap. Ex parte il primo, & il secondo, & in cap. A nobis de Decim.* & concordant *Monet. cap. 5. num. 46. & seq. Rota in recen. decis. 508. n. 13. par. 5. & decis. 44. n. 5. par. 7. & dec. 302 n. 7. par. 9. & decis. 507. n. 4. par. 19.*

Nullaque cadere potest difficultas super legalitate allati priuilegij, eo quià Sac. Rota in præcedenti decisione edita coram R. P. D. meo Cerro sub die 26. Iunij 1722. §. *Quod sanè*, dubitauerit de illius fide tanquam extracti lite pendente, & absque citatione Partis Aduersæ, & consueta compulsoria. Siquidem supèr hoc puncto amputauit omne dubium factum ipsius Partis Aduersæ, quæ coràm Illustrissimo D. Ponente hoc priuilegium compulsauit ex Archiuio nostri Monasterij, vbi asseruatur; Undè ex hoc assecutum fuit supremam fidem in judicio per ea, quæ dixit *Rota in recent. decis. 387. nu. 9. par. 17. & coram Zarat. decis. 65. nu. 26. & coram Emer. Iun. decis. 1358. n. 9.* Potissimùm postquam ad instantiam eiusdem Reuerendiss. Episcopi reperitur in actis productum, propterea que eo minùs integrum remaneret ejus legalitatem adducere in discrimen juxtà praxim, de qua *Vestr. lib. 6. c. 1. n. 4. et seq. Gratian. discept. 514. n. 26. Rota coràm Bich. decis. 203. n. 5. & seq. & coram Priolo decis. 433. num. 4. & 5. & in recent. decis. 703. n. 10. & seq. par. 18.* & post *Card. de Luca decis. 42. n. 8. lib. 6. tom. 1.*

Non

Non solùm verò huiusmodi priuilegium validum fuit, ex quo tanta solemnitate concessum fuit ab antecessore in hac Sede Archiepiscopali adscito suffragio Capituli, sed maius quoque robur acquisiuit ex subsequenti confirmatione, quæ post decennium superaccessit; Anno enim 1378. idem Archiepiscopus vnacum Capitulo specialiter delegarunt duos ex eius gremio, vt procederent ad æstimationem bonorum prò Dote nostri Monasterij assignatorum ad hoc, vt euaderent exempta à Decimis vsque ad valorem dd. 25000. Merapetinorum, & eas soluere cogerentur pro valore, in quo excederent, iniungendo, vt obseruaretur gratia aliàs ab ipsis concessa, in cuius delegationis implementum antedicti Canonici assumendo tributam commissionem, postquàm agnouerunt bona per Monasterium possessa non excedere valorem 19000. Merapetinorum, declararunt ob dictam rationem bona esse prorsùs exempta à solutione Decimarum, quod sanè factum magis magisque confirmauit antecedentem concessionem, siuè ob nouam confirmationem Archiepiscopi, & Capituli post decennium iterùm emissam ad tradita per *Dec. in leg. Merè n.3.ff. de Iurisdict. omn. Iudic. Rota coram Cerr. decis.783. n.6. & in recent. decis.387. n.18. par.17.* & post *Card. de Luca decis.108. n.4. lib.10. tom.2. & in Nullius, seù Fulden. Iurisdict. super bono Iure 1. Iunij 1708. §. Aduertendo coràm bon. me. Ansaldo.* Siuè ob vlteriorem executionem elargitæ exemptionis commissam à præfatis Canonicis delegatis ad tramites eiusdem antecedentis Priuilegij iuxtà benè notata per *Rotam coram Bich. decis.396 n.26. & in Firmana Iurisdictionis 19. Maij 1700. §. Neque prædicta coràm bon. me. Molines, & in Calaguritana Iurisdictionis 2. Iulij 1701. §. Talis obseruantia coram eodem, & in Giennen. Adiunctorum 1. Maij 1704. §. Quin imò pariter coram eodem Molines.*

Nec objiciatur, talem concessionem exemptionis nullitatis vitio infectam fuisse, quià non permitteretur Episcopo decernere vllo modo exemptionem à solutione Decimarum sinè beneplacito Sedis Apostolicæ; Etenim firmissimum est in jure fuisse sempèr permissum Episcopis Decimas remittere Monasterijs, dummodò remissio fieret secundùm canonicas sanctiones, vt apertè sancitur à *Text. in cap. Quià circa 22. de Priuileg.* vbi Innocen. III. ità respondit Archiepiscopo Londinen. *Quæsiuisti, vtrum Monaci omnium Sanctorum priuilegium Prædecessoris tui supèr Episcopalibus Decimis retinendis indultum extendere valeant ad possessiones acquisitas, & postmodùm acquirendas; Super quo tale damus responsum, quod si Decimarum illarum remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones &c.*

Quod verò exemptio, de qua agitur, facta fuerit ab Archiepiscopo Toletano secundùm canonicas sanctiones, illicò suadetur ex hoc ipso, quod interuenit consensus eius Capituli, qui solus est id, quod Sacri Canones requirunt, vt patet ex *Can. sine exceptione 12. quæst. 2. & ex toto titulo de his, quæ fiunt à Prælat. sin. consen. capit.* & in specie exemptionis, seù concessionis decimarum *in cap. 2.* ibi = *Consultationi tuæ talitèr respondemus, quod concessio Decimæ priùs facta, si Conuentu sciente, & non contradicente facta est, robur firmum debet habe-*

habere = ibique glos. *in figuratione casus*, & clariùs *in cap. Cum Apostolica eod. tit.*, vbi Innocentius III. distinguendo inter donationem, seù concessionem decimarum, quæ fit à Laico in Ecclesiam de illis decimis, quas ab antiquo, hoc est ante Concilium Lateranen. ipse habebat in Feudum, & aliam, quæ fit ab Ecclesia in aliam Ecclesiam, seù personas Ecclesiasticas, respondit, quod in prima donatione sufficit auctoritas Episcopi sine consensu Capituli, in secunda verò specie requiritur consensus Capituli, vt valida sit donatio; Et idem quoque definiuit in *cap. Pastoralis eod. tit.*, vbi quod donatio facta Monasterio ab Episcopo tenet cum consensu Capituli, & in specie, quod secundum canonicas sanctiones fieri intelligatur vbi fiat de consensu Capituli, docent *Glos. in d. cap. Quià circà verb. secundùm canonicas sanctiones* ibi = *Puta de consensu Capituli* = & *ibidem Abb. num.* 1. ibi = *Remissio decimarum illarum facta fuit secundùm Canones, hoc est de consensu Capituli* = *Hostien. num.* 2. ibi = *Si remissio illarum decimarum facta extitit secundùm canonicas sanctiones, puta de consensu Capituli* = *Butr. num. 1. & 5. Barbos. num. 3 Monet. de decim. cap 5. quæst. 3. num. 133.* ibi = *Debet tamen fieri secundùm canonicas sanctiones, vt ibi disponitur, hoc est de consensu Capituli*.

Quod si adhuc subdatur præter consensum Capituli in sensu plurium Canonistarum exigi vlterius iustam causam necessitatis, nempè vtilitatis, & pietatis, præterquàmquod receptissimum est, necessarium non esse, omnes istas causas copulatiuè concurrere debere, sed quod admittantur etiam disjunctiuè, itaut sufficiat altera tantùm ex illis, vt probant *Innocen. in dicto cap. Quià circa, & ibid. Zabarell. in fin: & Hostiens. num.* 2. ibi -- *Ex causa necessitatis, vel vtilitatis, vel pietatis* -- Adhuc tamen promptissima est responsio, quod in nostra Thesi non vna solummodò, prout satis est, sed omnes copulatiuè causæ mirum in modum conspirant pro validitate nostræ concessionis.

Et sine pro causa Pietatis perenne nobis exhibet Testimonium idem Archiepiscopus vna cum Decano, & Capitulo, dum in eodem Priuilegio egisse professus fuit -- *E noi considerando la buona deuozione, & intenzione, e buon proposito del d. Sig. Rè, che hà, perche si faccia detto Monastero nel detto luogo, e degl'altri, che ci pregorono, e credendo, che da questo si farà il seruizio di Dio, e che è opera di Misericordia, l'hauemo hauuto per bene*, vt ex dicto *Summario additionali litt. DD.* Quandò enim donatio, seù exemptio concessa noscitur ex causa constructionis, seù fundationis Monasterij, pia semper reputatur tanquàm directa ad incrementum Diuini cultus, & ad maiorem regularis obseruantiæ propagationem iuxtà benè animaduersa per *Rot. in Colonien. Fundationis Monasterii* 11. *Januar.* 1717. *§. De plano consequitur coràm bo. me. Foscaro*.

Non deerat pari modo causa necessitatis tùm quià quandò agitur de construenda Ecclesia, vel Monasterio Episcopus, vel quisque alius habens Ius decimandi coguntur præcisè illius partem assignare Ecclesiæ, siuè Monasterio ædificando, vt ita eorum exemplo, & inci-

ta-

tamento ad similiter elargiendum cæteri inuitentur, vt est *Text. express. in cap. De his 4. de Eccles. ædific. Amostazz. de Caus. piis lib. 5. cap. 2. num. 4. cum duobus seqq.* Tùm etiam quià cùm res esset de assignanda dote ipsi Monasterio nouiter erigendo, ferè indispensabile reddebatur illius Bona vsque ad præfinitam quantitatem 25000. Merapetinorum eximere à decimarum solutione, quià dictus valor vix aptus erat congruam Monasterij dotem constituere, nilque adeò Sacris Canonibus congruit, quam quod Bona assignata pro dote Ecclesiæ debeant esse Immunia à quocumque onere, & tributo, vt in specie de exemptione à decimis est *Text. in cap. Nuper de decimis*, & generaliter disponitur *in cap.* secundùm canonicam auctoritatem *cum sequ. 23. quæst. 8. & in cap. 1. de Cens.* cum alijs per *Guttier. de Gabell. quæst. 92. num. 62.* & latissimè per *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 31. num. 36. & seq. & num. 42.* Et regulare est, quod actus semper censetur necessarius, vbi fiat ad tramites Iuris, *Rot. cor. Cels. decis. 85. nu. 8.* & post *Card. de Luca decis. 23. nu. 11. lib. 7. tomo 1. & decis. 44. nu. 12. lib. 8. to. 3.*

Impellebat demùm æquè vrgens causa vtilitatis; Si enim de per se ipsa constructio, & erectio nouæ Ecclesiæ, seù Monasterij sempèr tendit in euidentem vtilitatem, quià habet in obtentu principali decorem, & honorem Dei per ea, quæ in proposito ponderauit *Rota in Leodien. dismembrationis 25. Ianuarij 1715. §. Minùsque coram Reuerendissimo Lancetta Decano*, longè vehementiùs ista vtilitas militabat in Monasterio, de quo agebatur, quià controuersa exemtio à decimis indulta noscitur sub explicito pacto, quod Moniales nunquàm tractu temporis valerent exemptionem impetrare à Sede Apostolica, quinimò vbi etiam contigisset, quod à Summis Pontificibus motu proprio concederetur sub promissione, quod illa vti non possent, vt in dicto *Summ. addit. nu. 1. litt.* KK. Quamobrem cum nonnisi facillimum euasisset nostro Regio Monasterio mediante benignissima Regis interpositione ampliorem, & plenariam exemptionem obtinere pro omnibus decimis à Sede Apostolica, prout Summi Pontifices simili Priuilegio donarunt omnes ferè Claustrales, & Religiosos; Hinc nemo non videt, quod concessio huius limitatæ exemptionis à solutione decimarum pro solo valore bonorum 25000. Merapetinorum redolebat manifestam vtilitatem eiusdem Archiepiscopi, eiusque Capituli, vtpotè concordata sub prænarrato pacto non obtinendi vberiorem vnquàm exemptionem à Sede Apostolica, itaut assumpserit quodammodò naturam compositionis, seù transactionis potiùs quàm donationis gratuitæ ad tradita per *Rotam post Card. de Luca decis. 3. num. 13. lib. 16. to. 4. & in Auenionen. Donationis 1. Iulii 1707. §. Visum coram bonæ mem. Molines*; Et per consequens nemo inficias ibit, quin validè processerit Archiepiscopus in ea concedenda cum solo consensu Capituli, nulloque adhibito beneplacito Apostolico tanquàm inuoluente speciem compositionis ad *Textum in cap. 2. de transact.* ibi = *Statuimus, vt super decimis inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata, et in-*

& inconcussa persistat = & tradunt *Fagnan. in cap. Cum contingat num.19.de decim. Monet.eod.tract.cap.5.num.45.& 119.& seq. Rota iu Rec.decis.218.nu.1.& seq.p.7.& post Card. de Luca dec.19. nu.1. & 2.lib.14.to.2.*

Et ex hoc ipso refellitur aliud obiectum, quod hæc exemptio vti præseferens speciem alienationis, substineri nequeat sine beneplacito Apostolico iniuncto in celebri *Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* Quoniàm, vt mox probauimus, nunquàm accenseri poterit inter species illarum alienationum, quæ interdicuntur Episcopis, & propriè præsefert quandam compositionem super decimis inter Personas Ecclesiasticas, quæ in dicta Constitutione non prohibetur, sed permittitur, & quocumque modo res sumatur cùm expleta fuerit centum annos ante publicationem d. *Extrauag. Ambitiosæ*, quæ accidit anno 1468.nunquàm cadere potuit sub eius Censura, vtpotè quæ futuris solùm legem imposuit, non verò præteritis iuxtà vulgatam propositionem, de qua *Salas de leg. quæst.97. tract.14.disp.11.tit.7.nu.17.& 18. Card. de Luca de alien.discurs.2. num.11.& discurs.25.num.3.Rota post eumdem decis.22. nu.4.lib.11. & decis.23.num.11. lib.14. tom.2. & in Colonien.Canonicatus primæ gratiæ 10. Decembris 1710. §.Consonabant coram bo.m. Ausaldo.*

Verùm enim verò, vbi etiam essemus in verè insubsistenti hypothesi, quod scilicèt aliquo etiam vitio laboraret concessio exemptionis à decimis tàm solemniter facta fauore nostri Monasterii, saltem nunquam valeret controuerti, quod ea non præbuerit sufficientem titulum ad effectum, vt eo fretæ Moniales spàtio annorum quadraginta, in quibus fuit obseruata præscribere possent hanc exemptionem, cùm non admittat vllam difficultatem, quod contrà habentem Iuris assistentiam induci valeat præscriptio à solutione decimarum, vel consuetudine immemorabili, vel quadraganaria cum titulo iuxtà solemne decretum *Text.in cap.1.de præscript.in 6.*& conueniunt *Rebuff.de decim.quest.13.num.81.& seq. Monet.cap.5.qu.5. num.112.Card.de Luca eod. tract. de decimis discurs 17. nu.8. Rota post edm decis.19.num.7. lib.14.to.2. & coram Emer. Iun. decis.473. nu.3.*& admisit ipsàmet contraria Decisio 26.Iunij 1722. *§.Siquidem coram R.P.D.meo Cerro.*

Absque eo quod prætendi possit, quod titulus hic, qui allegatur pro fomento consuetudinis qoadragenariæ esse debeat iustus, & legitimus, quià non esset nisi fatuitas, quod quis suffultus titulo vero recurreret ad Beneficium præscriprionis, vt inquit *Gloss. in cap.Si diligenti verb.Iustus titulus de præscript* ibi = *Si enim aliquis habet iustum titulum, puta priuilegium, siuè concessionem, iam securus est, vndè posteà non est ei necessaria præscriptio* = Vndè sufficit etiam titulus minùs validus, & simpliciter putatiuus, quià non adducitur ad effectum disquirendi de bono Iure præscribentis, sed ad solum finem eliciendi bonam fidem eo quià præscribens semper præsumitur esse in mala proptèr Iuris resistentiam, quo circà titulus subministrat quoddam iustum velamen, cuius vmbra tegitur, & nutritur bona fides, vt egregiè notat *Felin.in d.cap.si diligenti sub nu.12. vers. Con-*

sidera

sidera benè, Garz.part.12. cap.2.num.241.& seq.Card.de Luca dicto discurs.17. sub num.8. Capyc. decis.189.num.10.& seq. magistraliter *Rota coram Gregor.decis.289. tot.& coràm Soccin. decis.295.num.3. & sequ.* cum aliis *coram Emerix Iunior. decis.731. num.13.& decis. 764.num. 14.*

Quibus sic ad causæ opportunitatem prænotatis, perstringentissimè inferimus, quod concessio exemptionis à solutione decimarum, quam adduximus in tutamen nostri Monasterij, vel validissima est de per se vtpotè emissa ab Archiepiscopo de consensu proprii Capituli, ac ob impulsum tot causarum, quas supra retulimus, iuncta insuper tàm longæui temporis obseruantia, vel in omnem pessimum casum negari non poterit, quod nostræ Moniales permanserint in omnimoda bona fide; cùm ritè credere potuerint, quod Archiepiscòpus, approbante eius Capitulo polleret hac facultate eximendi earum Bona ab onere Decimarum, quod exuberat, vt titulus sit plusquàm aptus ad sternendam viam legitimæ prescriptionis, vt concordant auctoritates mox adductæ, præsertim *Rota coràm Coccin. d.decis. 295.nu.4. et seq.et coram Gregor. d. decis. 289. n.3. et seq.*

Non omittendo de cætero iterùm subijcere oculis Reuerendissimorum Patrum, quod hìc non contenditur de præscribenda illimitata exemptione ab omnibus indefinitè decimis, sed solùm restrictiuè ad certam quotam Bonorum, quæ proprijs sumptibus nostri Monasterij excoli solent, quæque non excederent valorem 25000.Merapetinorum ad formam supra relatæ antiquissimæ concessionis; In quo posteriori casu proceditur vàldè indulgentiùs, & iuxtà veriorem opinionem Doctorum admittitur sola consuetudo quadragenaria, etiamsi nullo suffulta Iuridico titulo, vt benè segregando terminos vnius, vel alterius præscriptionis communiùs monent *Couarruu.var.resol.lib.1.cap.17.sub n.8. §. Decimo, his omnibus Leo in Thesaur.For.Eccles.par.2.cap.12.n.46.Rota in Rec.dec.23.n.1.& seq.par.6.& cor.Seraph.dec.1102.n.7.et coram Roxasdec.391. n.5.et cor.Bich.dec.653,n.1.et post Card.de Luc.dec.19.n.7.et 8.lib.13.to.2.*

Quarè &c.

Pompeius de Iocosiis Aduocatus.

R. P. D.

FALCONERIO

Toletana Decimarum super septem Tenimentis,

PRÓ

Ven.,& Regio Monasterio Monialium Clausarum Ord.S.Dominici Ciuitatis Toleti.

CONTRA

Illmum,& Rmum D. Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum, & alios Decimarum Comparticipes.

Iuris.